



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quae sit apostasia à fide.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

personam in ordine vel religione, corpus in officio. Si primùm Iudæi crederent in Christum & baptizarentur, & postea circumciderent vel non circumciderent, saltem ne præsumerent per hoc se posse bonos effici & saluari, sed solùm per gratiam Iesu Christi, sicut patres eorum fecerunt, Actor. 15. ubi Petrus dicit: Nunc ergò quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus? sed per gratiã Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodũ & illi, scilicet Gentes: significans, fidẽ in Christum, tollere omne discrimen inter Iudæum natum & Gentilem: tunc, inquam, res esset sine periculo. Similiter de discrimine ordinum, cæremoniãrum, rituum dicendum est, quandò liberè hæc seruantur, non ea intentione, ut per hæc velint salui fieri, sed ad exercitium fidei & seruitium proximi, castigationem corporis, Deo ad laudem & gloriam, tunc sine periculo hæc omnia benè seruari possunt. Sunt enim hæc quasi testa externa. Fides autem nucleus est internus, quæ fides sic externis decoratur & ornatur, sed externa hæc non sunt nucleus.

Discessio à fide seu Apostasia, est non solùm publica negatio Christi, sicut Iudæi negãt: sed fit, quoties quis hoc tribuit suis operibus, quod Christo debetur. Nam de Christo dicitur Ioan. 1. Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Roma 4. Mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Et Petrus Actorum 15. Per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos fieri. Ergò si quis remissionem & salutem suis tribuit operibus, & ea intentione facit, is apostatatur à fide iustificationis Christi, ei gratis aut frustra venit Christus. Ideò hæc intentio & falsa fides abijcienda est. Sic etiam Apostolus maximè laborabat cõtra Iudæos baptizatos, in Epistolis ad Romanos & Galatas, ut hæc fiduciam

fiduciam operum ac legis seponerent. Et Petrus inquit: Huic omnes testimonium perhibent, &c. Hæc Act. 10.
 est enim gloria gratiæ Dei, qua laudari vult Deus, Eph. 1. Si autem hæc exteriora fiunt ad exercitium fidei & corporis in seruitium proximi ad laudē & gloriam Dei, nihil nocebunt: sola ergo mala intentio, id est, caput serpentis, amputandum est. Sancti Patres habuerunt & ordinârunt varios ordines, disciplinas, ac scholas ad exercitium in laudem Dei: (quemadmodum D. Hieronymus de opere Monachorum librum scripsit) non vt tales essent potissimus cultus Dei, ac si quis doceret puerum artem lanificiam, (vt olim Monachi operabantur) vt hæc ars esset via ad salutem & probitatem, & iuuenis hanc artem exerceret ea intentione, vt per illam oporteat eum saluari, & quod sine hac arte nõ haberet salutem: nonnè hîc stultus esset tam magister, quàm discipulus? Sed si via ad salutem & probitatem fidei in Christum tribuitur, tunc artificiũ sine periculo exercetur. At inquis: Sic similis erit laicus Sacerdoti vel Monacho, Respõdeo, illorum officia plurimùm differunt, sicut cœlũ & terra: quia ergo Sacerdos agit officium spiritus & salutis, Laicus verò officium corporis & enurritionis, ideò plurimùm dissimiles sunt ratione officiorum, licet non Fidei. Liberè seruare ordinẽ, sic intelligendum est, ne talis obseruatio ligata sit ad opinionem iustitiæ & salutis, non vt contemnatur ex libertate carnis. Sic de alijs statutis, ritibus, &c. Ecclesiæ iudicandum est.

CAPVT XXX.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo mors & supplicium Christi sit in redemptionem fidelium, sanctorum autem martyrium in testimonium fidei in Christum, & exhortationem constantiæ.*

H 3

2. Quod